

בשׁוֹר יְהוּדָה

DISSERTATIONIS HISTORICO-  
CRITICÆ  
Pars Prior,

# JONAM PERI- CLITANTEM

Ex Lib. Jona Cap. 1. & 2.

EXHIBENS :

Qvam

Consensu Amplissimi Senatus Philosoph: in Re-  
gia Universitate Aboensi,

Ductu & Moderamine

VIRI Admodum Rever. atque Celeberrimi

Dn. ISAACI WÖRKUNDI

Sacr. L. L. Prof. Ordin. Facult. Phil.

h. t. Decani Spectabilis,

Publice Examinandam proponit

ALUMNUS REGIUS

JONAS FRONSELL

W. Gothus,

Die 13. Decemb. A. 1729. horis ante mea-  
ridiem confuetis.

ABOÆ, Excud. R. Ac. Typ. Joh. Kämppe.

VIRO Maxime Reverend. atque Celeberrimo  
DOMINO  
**MAG. DANIELI**  
**JUSLENIO,**

S. S. Theologiæ PROFESSORI ordinario, H. T. Rectori Magnifico, Consistorii Ecclesiastici ADSESSORI Gravissimo, Ecclesiæ Fennicæ Aboensis ANTISTITI Vigilantissimo,  
PATRONO Æstumatissimo.

VIRO Maxime Rever.  
**MAG. ANDRE-**  
S. S. Theologiæ PROFESSORI ordinando Amplissimo, Consistorii Ecclesiastici quæ in Nådendahl / Reso & Meristii ad-  
PATRONO

AD Deorum sacra sine muneribus accedere,  
A reis tam prospera quam adversa plane

VIRO Maxime Rever: atque Celeberrimo  
DOMINO

# MAG. JONÆ FAHLENIO,

S. S. Theologiæ PROFESSORI ordinario, Consistorii Ecclesiastici ADSESSORI Primario, Dicæcæeos Aboensis ARCHIPRÆPOSITO, & Eccles. Aboensis Syecan: nec non Nummens, ANTISTITI Meritissimo,  
PATRONO Benignissimo.

atque Celeberrimo DOMINO

# Æ BERGIO,

Facultatis Theologicæ h. t. Decanus  
ADSESSORI Gravissimo, Ecclesiarum  
masco Deo colliguntur, ANTI-  
curatissimo,  
Exoptatissimo,

apud gentes fas non fuit: presertim cum ab  
dependere, n: bilique rerum humanarum sine  
corum

erum numine gerī, multo lūminus faustum  
posse obtinere eventum putaverint. Ad con-  
siliandum sibi favorem Numinis suorum, va-  
ria sacrificia, & pretiosiora, & viliora, pro-  
ut modus supellec̄tilis cujusque ferebat, obtu-  
serunt, eum simul in finem, ut veneracionem  
& recordationem beneficiorum in se antea  
collatorum, penitus non esse oblitteratam de-  
monstrarent. Temerarium & ab officio meo  
plane remissum esse duxi, si ad Vestra altaria,  
PATRONI & Evergete Optimi, absque sacri-  
ficio, gratissimum in Vos amatum exprimere,  
ob fortune & successus mei commendationem  
plane singularem, accederem. Respicite  
munus hocce chartaceum, quod solum pro-  
tantis beneficiis Vobis offerre queo; neque  
solito Vestro favore amplecti ne gravemini.  
Vestrum favorem, Vestrisque in me amoris  
affectus, pia semper recolere memoria, &  
quocunque me in posterum fatā duxerint,  
predicare atque extollere; ut & vota pro per-  
enni omnium Vestrum incolumente fundere ca-  
lidissima, nunquam desistam,

MAXIME REVER. atque CELEBER-  
RIMOR. NOMIN. VESTROR.

humillimus cliens  
Jonas Fronsell.

*Plurimum Reverendo atque Praclarissimo  
Domino*

**Mag: JOHANNI TOLPO,**  
Pastori Birckalenfium meritissimo, Nutritio meo Propensissimo, omni obser-  
vantiæ cultu prosequendo.

*Plurimum Reverendo atque Praclarissimo  
Domino*

**Mag. JOHANNI BRISMAN,**  
Pastori in Larf Westro-Gothiæ Dignis-  
simo, Fautori certissimo, omnis hono-  
ris cultu venerando.

*Plurimum Reverendo atque Doctissimo VIRO,  
Domino PETRO RUDBERG,  
Ad S: Olavi Comministro Holmenfi Lau-  
datissimo, Fautori & Evergetæ Singu-  
lari, perpetim Colendo.*

*VIRO Litteris & moribus spectatissimo,  
Domino ANDREÆ LUNDAHL,  
Inspectori Prædiorum Wredeanorum,  
Håringe & Hammarstad in Suderman-  
nia, vigilantissimo, Fautori Optime de-  
me merito, integerrimo, multis nomi-  
nibus colendo.*

**V**espera in me beneficia, Fautores, exstite-  
runt tanta, ut ea dignis justisque ef-  
fierre laudibus, me nullo modo posse, lubens  
agnoscam. Suscipe quæso in termpn*ies* gra-  
tissimi animi JONAM PERICLITAN-  
TEM, tenui Minerva adumbratum, &  
persuasissimum Vobis semper habete, me co-  
esse animi, ut memoriam beneficiorum Ve-  
strorum, in me abunde cunsculatorum, nulla un-  
quam temporum oblitio sit deletura. Deus Ve-  
stra domicilia, que me etiam fluctuantem  
inter undas adversitatum exceperunt, omni  
benedictione exornet & repleat, Vosque in  
annis bene multos, ab omni malo immunes,  
conservet. Sic dovet & precatur,

Plurimum Reverend. Praclarissim. Do-  
ctissim. & spectatissim. Nomin. Vestr.

Devinctissimus cultor

A. & R.



## *Proænium.*



Undus, in quem propter prævaricationē protoplastorū ; relegati sunt mortales, non nisi domicilium variis miseriis refertissimum dici meretur. Vix enim heic dies existit, qui non aliqvid secum afferat adversi : se data namque una, altera statim exsurgit calamitatis procella ; adeo ut vita humana, ceu navigium fluctibus maris æstuantis expositum, miseriarum ac adversitatum tempestatibus quoqve sic objecta. In tantis tamque mul-

A

tis

tis homini obvenientibus malis ;  
si non alio, certe hoc se erigere  
potest solatio , qvod non uni vel  
alteri, sed perplurimis hæc sors  
contingat atqve eveniat, ut so-  
cios secum periclitantes indies-  
tere conspicere possit : adeo ut  
vetus adagium, *solamen miseris so-  
cios habuisse malorum*, etiamnum  
multos erigit: nam ærumna, qvæ  
communis est, habet aliqvid le-  
vamenti. Exemplis eorum, qvi  
periculis, infelicibus qvibusvis ca-  
sibus, morti qve etiam expositi  
atqve destinati fuere, sed modo  
qvodam certe mirabili exinde in-  
columes evaserunt, tam sacræ ,  
qvam profanæ historiæ abun-  
dant. Inter alia, qvæ in sacris  
commemorantur pandectis, emi-  
net Prophetæ Jonæ casus. Cujus  
tam periclitationem , qvam post-  
ea miram conservationem , dum  
exponere constitui , tuam Le-  
ctor B: imploro atqve sollicito

hu-

5

humanitatem & benevolentiam ,  
ut hosce meos conatus fronte a-  
spicere serena , benigne suscipe-  
re , inque partem meliorem in-  
terpretari haud dedigneris. Nam  
præter rei familiaris inopiam ,  
qvâ summa laboravi , cum mole-  
stia etiam fortunæ aliis huc usqve  
fere mihi conflictandum fuit : qvæ  
incommoda prosectorum in litteris  
meum admodum retardarunt at-  
qve impedierunt . In alias enim  
atqve alias septentrionis oras ja-  
statum , vitæ sustentationem sæ-  
pius lucrari , qvam bonarum ar-  
tium mercaturam exercere , pre-  
ciosissimumqve ætatis tempus a-  
liorum ministeriis , iisque inter-  
dum ab instituto remotioribus ,  
impendere , me sors sinistra co-  
egit . Cum autem per casus va-  
rios , & rerum discrimina pluri-  
ma , ad hoc illustre Athenæum  
accessisse , dubius diu hæsitavi ,  
num in lucem publicam aliquid

unquam emittere rerum mearum  
permitteret angustia. Verum a-  
mor litterarum, qvas in deliciis  
semper habui, hanc discussit du-  
bitationem, & animum ita ere-  
xit, ut noxam ignaviæ & negli-  
gentiæ aliquo modo declinandam  
putarem. Qapropter specimen  
qvoddam tenuitatis ingenii exhi-  
bere, qvam animum abjecere o-  
mnem, consultius duxi. Ad il-  
lud vero perficiendum, præter  
monita aliorum, non minimum  
præclara hæc Plinii verba exsti-  
mularunt: *Habet has vices conditio  
mortaliū, ut adversa ex secundis,  
ex adversis secunda nascantur.*  
Hujus ideo Prophetæ fata, in  
misericordiæ, amoris & potentia-  
e divinæ, periclitantes auxilii ex-  
fortes non derelinquentis, recor-  
dationem & considerationem, ex-  
planare decrevi; Tuum est, Le-  
ctor optime, de hisce dextre ju-  
dicare; quod si ex voto mihi  
con-

5.

contingat, me tibi non minimum  
debere officium testabor.

§. I.

*Nomen ♂ originem Prophetæ  
describit.*

**O** Blata jam nobis ansa de Propheta Jona differendi, non adeo multum de nominis significatione & Etymologia nos esse sollicitos convenit, cum eam nemini, qui vel gustum quendam sacrarum literarum est affectus, incognitam esse existimem. Vallet enim vox Hebræa יונה & columbam & oppressum. Hoc nomen casu ne, an consilio, Prophetæ sit datum, dicant alii: certe caussas, cur haec duæ allatæ significationes ei possint adsignari, ab eventu quidem haud inepte affert Johannes Schüffen: ut nimirum columba Noacho in arca diluvii periculis exposita, lætum in

in apportando olivam dedit au-  
spicium; ita ille Ninevitis olivam  
pœnitentiæ ab interitu liberantis  
attulit salutarem: ut eam avium  
rapaciam violentia sœpius infe-  
ctatur atque opprimit; Sic ille  
adversitatum impetus quam ma-  
xime fuit expertus (a. De ortu  
vero & origine tam inter Chri-  
stianos, quam Judæos scriptores  
qvondam disceptatum fuit. Non-  
nulli cum Talmudistis, utpote E-  
piphanius, Dorotheus, allegante  
Illustrissimo Pfeffero, filium vi-  
duæ Sareptanæ, ab Elia a mor-  
tuis resuscitatum, eum esse con-  
tendunt (b. Qvod veritatis limi-  
tes aperte transgreditur, cum vi-  
dua illa Phœnista & Sidonia, hic  
vero Hebræus fuerit, ut de semet  
fatetur אֶבְנֵי עַבְדִּי (b. Discrepan-  
tia temporis hoc quoqve destru-  
it: filius enim viduæ ab Elia exci-  
tatus fuit initio imperii Achabi, a  
qvo ad Jeroboamum 2: dum, sub  
qvo

quo noster vixit, anni intercessere  
 nonaginta (d. Tarnovius Rabbi-  
 norum traditioni nimium tribu-  
 ens, eum fuisse juvenem ab Eli-  
 saeo in unctionem Jehu emissum,  
 argumentis ab omni dubitatione  
 non remotis probare annititur (e:  
 inaugurationem enim istam an-  
 nis supra sexaginta antea factam  
 fuisse liqvet. Grotius allusione  
 nominis Amittai, nec non con-  
 venientia <sup>וְיַרְבֵּה</sup> יְרָבֵה cum <sup>מִ</sup> deceptus,  
 ei e Græcia ortum adscribit, con-  
 tendens vates ibi quondam Amy-  
 thaonidas dictos (f: qui tamen  
 non ex Amittai, quin potius ab  
 Amythaone auguris Melampodis  
 patre originem nominis traxerūt.  
 Ariona a nautis in mare ejectum,  
 Corinthumque a delphine aspor-  
 tatum, alii pro Jona, ex casu &  
 vestigiis in nomine ejus exstan-  
 tibus seducti, venditant. Hisce  
 aliisque falsis de eo conceptis o-  
 pinionibus omissis atque rejectis,  
 testi-

gestimonio Saræ S: aliorumq; Clariſſimorum viroruſ consensu ſuf-  
fulti, patre Amitai, e Gath He-  
pher in tribu Zabulonis, non lon-  
ge a Diocæſarea mare versus Ti-  
beriadis ſita, ortum fuiffe Jonam  
ſtatuimus (e: facta enim per for-  
tem diuſione terræ Canaan a Jo-  
ſua, hunc traſtum posteri Zabu-  
lonis, e quibus originem ille duxit,  
occuparunt (h).

(a) Johannes Schüſſen in Apparatu  
Biblico Tom. II. pag. 895.

(b) Pfeifferi Praelectiones in Jon. Tom.  
Op. II. pag. 1138. (c) Jon. cap. 1. 9.  
(d) Reg. 14. 25. Michael Waltheri  
Harmon. Bib. pag. 681. (e) Tarno-  
vius in Jon. pag. 2. (f) Grotius in  
Jon. (g) Calovii Biblia Illustrat. pag.  
822 Buddei Hift. Eccles. v. Test.  
pag. 590. (h) Jof. 10. 13.

*Tempus, quo vixerit & propheta  
tarit, indicat.*

**P**Ersecutiones & calamitates cum exceperint ceteri, qvi inter Judæos & Israelitas vaticinati sunt Prophetæ; & nostrum eandem expertum fuisse sortem non dubitandum arbitror. Nam sub imperatoribus & regibus, verum Dei cultum rejicientibus & contemnentibus, malitiam, impietatem & quævis vitia impune suos obtinere successus; sed pietatem & vitam ad legis divinæ normam ritè institutam raro commendari aut promoveri, ejusqve sectatores ac defensores perversorum machinationib<sup>9</sup>, insidiis, calumniis & opprobri sad extremum usq; affligi, insectationibusque peti, & dogmata coruī pro ludibrio, risu atq; contemtu qvam særissime haberí, deprehendimus. Tempore

pore Jeroboami 2:di, filii Joasi,  
 gentem Israeliticam a vero Dei  
 cultu ad idola seqvenda & sacra-  
 da more majorum seducentis, re-  
 gnante apud Judæos Amazia, ge-  
 bus humanis interfuit Jonas. In-  
 ter Prophetas, qvorum scripta  
~~Siānus~~ nostris teruntur mani-  
 bus, primum locum si non obti-  
 nere, haud immerito inter pri-  
 mos numerari posse videtur no-  
 ster, cum neqve maiores illi, ne-  
 que minores in suis scriptis tantæ  
 vetustatis documentum fere reli-  
 querint ullum (4. Hisce non tan-  
 tum Chronologi Clarissimi & fide  
 dignissimi consentiunt; sed etiam  
 victoria, qvam Jeroboamum a  
 Syris reportaturum prædixit, ea  
 comprobat. Veri simile namque  
 est, in re instanti ac imminenti  
 prædictionem hanc a Jona editam  
 fuisse. Anno, (inquit scriptor sacer,)   
 decimo quinto Amasie filii Joasi regis  
 Judæ, regnavit Jeroboam filius Joa-

si super Israel in Samaria quadra-  
ginta annis & uno, & fecit malum  
in oculis domini, nec recessit ab o-  
mnibus peccatis Jeroboami filii Nebat,  
qui peccare fecit Israel. Ipse re-  
stituit terminos Israelis, ab eo quo  
venitur Hamath, usque ad mare so-  
litudinis, juxta sermonem Domini  
Dei Israel, quem locutus est per ma-  
num servi sui Jane Prophetæ filii A-  
mittai, qui fuit de Gs̄b Hesher (b.  
Sub hujus imperio flagella, aut  
externas incorpore vexationes &  
tormenta, eum perpeſſū fuſſe alle-  
verare neqveo, qvum rabiem hu-  
jus regis tantum invaluisse nus-  
qvam legamus, ut legatos Ma-  
jestatis cœlestis flagellare, mor-  
teqve nefaria trucidare ausus sit:  
qvanqvam de tolo vertendo mi-  
nus videatur dubium (c. Con-  
viciis vero & calumniis sæpius  
Jonam affectum fuſſe, probabi-  
le est: certe ob neglectum & im-  
pedimentum seminis divini a  
fe

se suisque collegis large & abundanter, inter gentem multis magnisqve aliis beneficiis condecoratam, sed variis vitiis adulteratam, sparsi, afflictiones animæ habuisse freqventes, affirmari potest. Qvando autem munus propheticum susceperit, aut qvamdiu illud in terra sancta obierit, non liqvet. Veritati contrarium non videtur, illum isto tempore prophetiam edidisse ampliorē, qvam nosmet hodie conspiciimus: sed ea vel litteris non est consignata, vel ad oculos nostros non pervenit, ut vult Polus (*d.* Nam donis a Deo ad illud officium administrandum eum ornatum fuisse præclaris & egregiis, operamq; indefessam ea exercendi assidue præstitisse, non in incerto ponendum est: qvum id ex eo maxime eluceat, qvod Ninevitas tantis tenebris & flagitiis involutos tam brevi tempore

ris spatio correxerit, & in viam  
rectam deduxerit. Ex qvod ad  
ministerium ipsius Jonæ attinet,  
credo cauſam, cur reliqua ejus va-  
ticipinia in luce non conspiciantur  
publica, fuisse inopinatum ipſi a  
Deo injunctum mandatum; ad  
exteras abeundi nationes, adeo  
ut commodum viſum non fuerit,  
ea calamo comprehendere; qvæ  
voce viva Israelitis proposuſſet.  
In Affyria ea prædicare aut di-  
vulgare, parum utile cognovit,  
tum ob diversas imperii Israeliti-  
ci rationes, tum ob novelli gre-  
gis Ninevitici ruditatem, cui ɿ  
coizeta lñs ἀρχῆς τῶν λογίων 18 Οε  
maxime instillanda & simpliciter  
inculcanda erant, non typorum  
involutcris & rituum apparatu ve-  
ſtienda Scripta vero illa confi-  
cere, & ad populares suos trans-  
mittere, si in Affyria, ut qvi-  
busdam viſum, manserit, non  
necessarium duxit, cum ſe præ-  
ſente

sente tam parum habuissent fructus.

*ta Buddei Hist. Eccles. V. T. pag. 500.  
conf. Pet. Dan. Huetii Demonstratio  
vio Evang. pag. 497. (b 2. Reg. 14.  
23 seq. (c Amos. 7, 10. seq. (d Math.  
Poli Critica Sacra Volum. III. pag.  
18-9.*

### §. III.

*In causas fugæ inquirere  
studet.*

**C**Ùm vero apud gentem Israelicam, levitate atque inconstantia regum in vera religione depravatam, emolumentum perqvam exiguum, vel forsan nullum facere potuisset, exinde ad alias gentes ablegatur. Hanc sibi injunctam legationem obire recusans ad oppidum in tribu Danis maritimum, ob portus commoditatem, magnamqve negotiatione-

tionem haud incelebrem, Japhuntem, Græcis deinde *Ιωνας*, a Saracenis hodie Jaftam appellatum, se contulit, ut cum navi-  
giis exinde solventibus negotium demandatum evitaret. Caussas  
fugiendi Jonæ, rationi nimium tribuenti, varias occurrisse non negamus; Sacri tamen codicis verba, Prophetam non adeo omnipræsentiaæ divinæ sese subducere, qvippe qvam declinari non posse haud ignoraret; qvam muneri sibi a Deo injuncto se subtrahere voluisse innuunt. Nam *a facie Domini fugere*, idem est ac nolle stare coram Deo, seu ministerium detrectare (*a.* Sive etiam locum præsentiaæ Dei gratosæ, ubi se dictis, factis & miraculis manifestum præbet, evitare & relinqvere studuit, qvem ultra terram promissam non dari forte putabat. Patres quidam ecclesiæ primitivæ, & nonnulli item ex re-  
cen-

centioribus, & nimii timori eum reprehendunt, existimantes veritum fuisse, ne in vita periculum apud potentissimum regem Assyriorum, & populum variis flagitiis infectum, incurret; vel saltem sublata pena pro falso haberetur proclamareturq; Propheta (b: Metu: quidem prioris istius mali apud Jonam in tentatione multum valuisse, negari nequit. Qvod autem ad posterius membrum attinet, istas eum fuisse cogitationes ex imminentis penae denuntiatione constare non potest: quam si maxime non absolutam sed conditionata novisset, interveniente penitentia servati, eum minime derisissent: conditione vero non impleta, interitu suo veritatem vaticinii probassent. Nec detuerre, qui existimarent, Jonam hanc legationem ea de causa subterfugisse, ne Israelitis, toties ad vi-

ræ emendationem a se suisq; collegis admonitis, nondum tamen iussui divino obtemperantibus, tanquam peculio Dei quidquam conciliaret pudoris: quum aho-  
qvin Israel ob contemptum Jeho-  
væ & gravissima scelera apud exoticas gentes tunc pessime au-  
diret. Causam tamen ejus fugæ potissimum ac evidentissimam fu-  
isse amorem in patriam, putant viri Clarissimi. Animo enim pro-  
spexisse, ceu vates, creditur, As-  
syrios Israelitis in pœnam servari: ideoque eam suo ministerio noluisse maturare, sed apud patrios lares suorum exspectare maluisse conversionem, qvâ istam evitare possent calamitatem. Alias si fata ad penates illum re-  
ducerent, felicitatis Ninevitarum auctorem, calamitatumque sua-  
rum causam eum proclamarent popularés. Ceterum ignoscant eruditi, qvod dubia heic nonnulla

moveare, & modeste dissentire au-  
sim. Nulla enim tunc tempo-  
ris adhuc exstabant signa, ex  
qvibus colligere potuissent atqve  
ominari Israelitæ imminens sibi  
aliqvando ab Assyriaco imperio  
periculum, florente præsertim  
regno Syrorum. Neqve ideo  
qvod vates erat Jonas, cujusqve  
rei futuræ, etiam non revelatæ,  
cognitione erat instructus. At  
revelationem peculiarem de ista  
re habuisse tanto magis dubitarι  
potest, qvanto certius expostu-  
lationes ipsius cap. Prophetiæ ulti-  
mo, & indignabundi æstus evin-  
cunt, se vaticinium illud de exci-  
dio Ninevitarum, saltim tempora-  
rio, absolute & sine conditione  
implendum credidisse. Verum a-  
liter plane nimius ille in suam gen-  
tem affectus penes Jonam se ex-  
seruisse videtur. Ni mirum inso-  
litum non tantum, cùm nullius  
ante se Prophetæ, cui talis im-  
posita

59

posita esset legatio, haberet exemplum; sed quod magis, fœderi divino contrarium duxit, si populum, quem Deus sibi met in peculium & heredem suorum beneficiorum elegisset, desereret, & ad exoticas se converteret gentes, quarum a moribus & conversatione omnes cordati & in vera religione firmiter perseverantes Israelitæ semper abhorruissent. Probabile itaqve est, & Jonæ eam hæsisse opinionem, quasi Israelitis solis Divina Majeſtas sua addixerit statuta, cum aliis gentibus minime communicanda. Qvam sententiam quia cum novo isto mandato conciliare non potuit, ideo se tam diu subtrahere conatus est, donec ista allegatio vel cessaret, vel alteri injungeretur. Qvicquid autem horum in animo habuit, causæ neque allatæ, neqve aliae occultiores, qvidqvam ejus contumaciam

ciam excusant, qvo minus e vestigio Domini vocanti obtemperare, eiqve omnem committere eventum debuisset. Nam licet Divina clementia in Israelitas beneficia cumularet abundantia; tamen a gratia sua alias gentes prorsus non exclusit, sed eam promiscue omnibus permisit. Qvū itaqve ipse his voluntatem suam per legatos & Prophetas revelare vellet, & Jonā idem qvod Petro observandum erat, ἡν κοινῶσαι ἀ Θεὸς ἔξα θάριστε. (c)

(a) 1. Reg. 17. 1. Deut. 10, 8. Luc. 19. (b) Pfeifferi dubia Vexata Centur. Etia loc. LXXXV. (c) Act. 10. 45.

#### §. IV.

*Locum, quo fugere intenderit,  
investigat.*

**I**ost varias deliberatiōes ad portum Joppensem se confert, na-

vem-

wemq; ad loca tendentē remotissima soluto in antecessum nauo, condescendit; non eo tamen animo, ut certum fugiendi terminum tibi non proponeret, sed qvo ventus eum duceret. circumvagari desideraret, ut volunt nonnulli, vocabulum, ωιστη appellative de mari, vel strictius de Oceano, non proprie de certo qvodam loco, urbe aut regione interpretantes.

*a.* Verum cum eum in finem non confiantur naves, ut in mari tantum errent, ad certum non contendentes locum; sed ut harum ope atqve beneficio indigentiæ rerum necessiarum commodissime subveniatur: absurdum foret, de hac Jonæ vectoria aliud cogitare. Summo enim Numinis non est visum, unicuique regioni tantam rerum abundantiam suppeditare, ut nulla bonorum laboraret inopia; sed placuit ei mortales hoc modo ad

mutua officia exercenda obligare:  
 cui obtinendo fini res nautica  
 peropportunum inventum est sub-  
 fidium. Si autem vel maxime  
 fugam Propheta non constituisse  
 certam, id tamen de ceteris in  
 eodem navigio commorantibus  
 non est existimandum, præsertim  
 qvum illud mercibus, qvas trans-  
 portare decreverint, onustum fu-  
 isse, vocabulum מילון innuat( b.  
 Et cum portorium tantum pro-  
 se solvisset, ad nutum ejus, vagum  
 si desiderasset instituere cursum,  
 gubernator navem non direxit.  
 Haud difficulter exinde colligi po-  
 test, navem, qvam concendit Jo-  
 nas, certam sibi destinasse me-  
 tam, eoqve in portu Joppensi si-  
 gnatam forsan fuisse indicio, qvod  
 locum, qvem petere vellet, mon-  
 straret. Qvapropter habitu re-  
 spectu materiæ substratæ, שרש  
 non appellativam, sed propriam  
 significationem heic habere exi-  
 sti-

stimamus, postulante id maxime  
in locali: potius itaque & rectius  
mare, quod distincto mox no-  
mine ~~—~~ appellatur, dici potest  
via, quam meta, ad quam nau-  
tæ suum direxerunt cursum. Sed  
restat nodus fere intricatissimus,  
ipsius scilicet loci indagatio, cum  
heic diversæ auctorum nobis ob-  
veniant sententiæ, ut difficillimum  
sit verissimam eligere: quare eas-  
dem leviter tantum attingere, ad-  
jecto nostro qualicunque judicio,  
satis esse ducimus. Plurimi, iisque  
magni nominis viri, locum hac  
fuga quæsitus, fuisse Tarsum,  
metropolin Ciliciæ, contendunt: a-  
lii Carthaginem in Africa: qui-  
dam Tunes sive Tunetum, cum  
haec urbs Arabice Tarfis dicatur.  
Nos vero cum Pfeiffero aliisque  
clarissimis viris, Tarsum, quo  
fugere voluit Proph: Jonas, fuisse  
Tartessum urbem in Hispania ad  
fluvium Bætin, hodie Qvadalqvi-  
virum.

virum dictum, aut non procul  
 inde sitam, haud inepte statui  
 putamus (c. Nam non dubitan-  
 dum, qvin in locis a terra san-  
 eta longe remotis se abscondere  
 vellet. Occasionem præterea ha-  
 buit idoneam, si non meliorem,  
 huc se conferendi, qvam ad alia lo-  
 ca, propter multitudinem illuc  
 navigantium. Hispania enim tunc  
 temporis commercia cum cete-  
 ris nationibus exercuit frequentia  
 propter copiam metallorum, qvi-  
 bus ut mater fecunda admodum  
 abundavit: namqve auro, ar-  
 gento, chalybe, ferro, plumbo  
 etiam atqve stanno, totam ferme  
 Hispaniam scatusse referunt Pli-  
 nius, Mela, aliiqve (d. Ad ur-  
 bem hanc mercatura florentissi-  
 mam perplurimæ etiam exteræ  
 nationes, itinera maritima ne-  
 gotiandi causa confecerunt fre-  
 quenter, eam præfertim ob caus-  
 tam, qvod ibi pretio longe mino-

ri, quam alibi, metalla permutteri possent. Celebre hoc emporium sacer codex etiam non minimum commendat: *Tarsis fuit negotiatrix tua propter copiam omnium diuitiarum: in argento, ferro, stanno, plumis dintes tibi merces e.* Nominis Tarsis in Tartessum, & contra, permutatio facile fieri potuit vel ab ipsis Phœnicibus, qui freqventes eo commearunt, tantamque exinde auri & argenti vim deportarunt, ut teste Aristotele ex argento anchoras conflaverint: quæ res eos adeo inflammavit, ut mult eorum tandem ibi suas fixerint sedes. (f)

(a) Hieron. in *Jn.* confer Pfeifferi *Dubis vexatis*. Cent. IV. loc. LXXXV.  
 (b) Pfeifferi *Prælest.* in *Jn.* confer *Jn.* I. 5. (c) Pfeiff. *Dub. vexat.* loco antea citato. (d) Sam. Bochar. *tus* in *Phaleg.* pag. 189. seqq. (e) *Hecatob.* 27. 12. (f) Henr. Kipping. *dissert.*

*sert: prim. de expeditione maris  
ma pag. 724.*

§. V.

*Sortilegium ad insurgentis procel-  
la auctorem deprehendendum ade-  
hibitum, excusit.*

CUM jam in navem una cum ceteris, qvi ad eundem terminum properarunt, descendisset, ex itinere, qvod fine dubio ingenti cum festinatione Joppen confecit, defatigatus, vires recreandi gratia ad somnum se composuit. Expansis interim velis vento se commisit navis; sed provectam aliquantum in altum vehemens excipit procella: qvam pre cibus ad idola sua cum sedare non potuissent, caussam tempestatis ex superstitione & ignorantia gentium per sortes exquirere tentarunt, existimantes auctorem mali hoc modo commodissime posse

se deprehendi. De modo autem  
fortiendi, qvo heic usi fuere nau-  
tæ, non adeo constat, qvum va-  
ria fortium olim habuerint vete-  
res instrumenta: taleolis enim li-  
gneis seu tesseris, globulis, cal-  
culis, fabis etiam nigris & can-  
didis luserunt, vel schedulis rem  
notarunt: in castris apud mili-  
tes lapillis fortiri consuetum fuit.  
Neqve improbabile videtur, eos  
heic vel schedulas nominibus for-  
tientium signatas usurpasse, eam-  
que ex urna aut sinu protraxisse,  
qvæ nomen Jonæ repræsentavit;  
vel etiam plures fortium species  
contulisse; vel eandem ob majo-  
rem evidentiam sæpius iterasse,  
qvod ex plurali נִלְתָּן in textu con-  
cludit Pfeifferus (1. Qværi hic  
haud inepte potest, num fortile-  
gium hoc nautarum sit proban-  
dum. Necesse est ante omnia,  
discerni gradus fortium & gene-  
ra: qvarum alias cum Clarissimo  
Peuce-

Peucero & politicas, alias divinas,  
 alias divinatorias statuimus. *Di-*  
*vinam* appellamus præcipue ejus-  
 modi *sortem*, qvæ in singulari ca-  
 fu negotioqve hominibus inexpli-  
 cabili, specialiter divinitus man-  
 data, nec aliis in exemplum tra-  
 henda est: qvalis erat, cum Jo-  
 sua auctorem anathematis sorte  
 exquisitum produxit (c. *Politicæ*  
 vero *sortes*, qvas & decisorias &  
 consultatorias vocant, sunt, qvi-  
 bus res arbitrio humano subiectæ,  
 sub conditione incerti eventus,  
 determinantur. Sic idoneæ sæpe  
 personæ designantur ad certas fun-  
 ctiones: sic imperans milites cer-  
 tos pericula adire jubet, vel in  
 delictis dispensat: sic privati he-  
 reditates, legata, & similia dis-  
 tribuunt, vel in genere aliquan-  
 do consilia capiunt. Non adver-  
 satur qvidem neqve sacr: littera-  
 rum, neqve Juris naturalis au-  
 thoritati, usus legitimus politicæ  
 hujs

hujus consuetudinis sortiendi; neque circa eventum providentiae divinæ concursus negatur: pro speciali tamen voluntatis divinæ revelatione, necessariaqve agendi norma nobis præscripta haberi non potest. *Divinatoꝝ sortis* variæ constitui solent species. In genere est, qvâ res humanæ rationi impervias explicare, id est, aut futura contingentia prædicere, aut alioquin latentes causarum abstrusarum nexus solve-re aliquis tentat. Hæc extra casum specialis mandati divini non putanda est licita, qvum magna sit arrogantia, Deum ad manife-standam voluntatem suam sic ad-igere velle, aut eam manifesta-tam sibi imaginari, ubi nulla ejus revelatio monstrari potest. Alioquin divinatio illa aliquando in terminis stultæ superstitionis sub-sistit. aliquando in nefandum dege-nerat scelus, si v.gr. hominis cædes similisve actus eam sequatur (d.

Nem-

Nempe omnis fortitio in tantum est  
 vitiola & injusta, in quantum Di-  
 vina auctoritate destituta, invo-  
 lat magisterium rerum sphæram  
 humanæ cognitionis excedenti-  
 um, & proximi damnum pernici-  
 emque intendit, ejusque adeo a-  
 morem violat. Hinc itaque de  
 fortilegii quæsiti moralitate judi-  
 cium expeditius ferre licet: sci-  
 licet minime id approbandum  
 esse; sed injustum, impium & su-  
 perstitiosum æstimandum est hoc  
 nautarum consilium, sola diffiden-  
 tia & sua ipsorum temeritate ad  
 fortes confugientium, quibus  
 caussa urgentis mali detegeretur.  
 Egregie quidem Peucerus de for-  
 tibus divinatoriis; que si eo, in-  
 quirit, sine instituuntur, ut exploren-  
 tur futura, & latentes rerum caus-  
 æ, diffidentia quadam de DEI vo-  
 luntate, deque cura & protectione  
 nostri, aliisque de causis quibuscum-  
 que prohibitis lege Dei, dicit vox Di-

divis: non inventatur in et שְׁנָה i. e.  
fortilegus: est enim Bedaux uia Domi-  
no Deo suo (e.). Ceterum qvomo-  
do idem Auctor sortitionem hanc  
in Jonæ caput ad divinas referat  
sortes & pari gradu cum sorti-  
legio Josuæ eandem collocet, haud  
dispicio, qvum ingens inter ea  
dilectio facili se prodat. Hæc  
enim a nautis desperabundis pro-  
prio ausu est arrepta, ubi ne ve-  
stigium qvidem Divini alicujus  
præcepti apparet: illud expresso  
mandato Dei, adeoque speciali  
privilegio munitum est, neqve  
ad alios, qvibus eadem auctori-  
tas luculenter non est concessa,  
pertinet, qvum ex particularibus  
universalia deducere non sit tu-  
tum. Alioquin idem & nobis i-  
mitari, similiqve indagationis vi-  
a scelerum auctores exquirere, &  
exquisitos suppliciis afficere lice-  
ret: qvod ne ipse qvidem Peuce-  
rus admittit. Ast divinam appro-  
ba-

bationem hunc actui nautarum peculiарiter adfuisse , ex eo qvod tam illustri *διοκήσεως* Divinæ documento sit insignitus , non magis concludi potest , qvam ipsam Jonæ fugam summo Numini placuisse , ideo qvod divina providentia eandem stupendo plane modo in gloriam suam & multorum salutem direxit . Non enim qvicqvid gubernat Deus , idem etiam probat . Sortem qvidem non casu fortuito , sed dirigente Domino cecidisse omnino statuimus , siqvidem מיהוה כל משפט *a Jebova est omne judicium seu ratio ejus.* Qvod qvemadmodum de prioribus sortium generibus , divinitus sive mandatis sive permissis , qvippe in re licita & legitimo modo institutis , omni caret dubio ; ita eodem Numine sapienter moderante , etiam superstitionem aliqui sortem , humana temeritate suscepitam , nonnunqā recle

recte cadere haud inficiamur: In-  
de tamen minime seqvitur, i-  
psam etiam superstitionem & te-  
meritatem probari, aliisque imi-  
tandam commendari (g. Præter  
ea vehementem illam & violen-  
tam tempestatem non unice ob-  
Jonam esse immissam, dicere au-  
sim, qvum Deus omnipotens re-  
luctantis Prophetæ contumaciam  
mille aliis modis coercere & casti-  
gare novisset, nisi hunc casum  
& in aliorum reprehensionem ac  
medelam convertendum duxisset.  
Scilicet nautæ in fugitiui hujus  
Hebræi delicta sollicite inquirunt,  
suam ipsorum culpam vel igno-  
rantes vel negligentes. Nam ho-  
mines diversarum nationum & re-  
ligionum in navi congregatos fu-  
isse probabile est, qvibus singu-  
lis peculiaris erat Deus, Sidoni-  
is Astarte, Asdodæis Dagon &c.  
ad qvos & tunc voce quantacun-  
que potuere, yatum instar Baali-

tarum īb, conclamaverunt, **וַיְהִי**  
**אֶל-** **אֱלֹהִים** quisque ad Deum suum,  
opem eorum enixe implorantes.  
Hos itaque stultiæ ipsorum con-  
vincere, & vanitate auxilii ab i-  
dolis impetrandi demonstrata, ad  
magnum maris, terræ, cœlique  
Deum cognoscendum, celebra-  
dum & Sacrificiis venerandum, &  
re & Prophetæ sermone adigere  
voluit. Ut nihil dicam de fama  
miraculi ad plures divulganda,  
& aliis quæ adduci possent mo-  
mentis (i. Ex hisce liquere puto,  
quod positum erat, nautas heic  
injuste ad sortes ducendas se con-  
vertisse, quatenus absqve prævio  
Dei mandato in rem cum dilpen-  
dio vitæ humanae conjunctam e-  
asdem adhibuerunt: nullus enim  
suæ, nedum alterius vitæ, præ-  
ter ipsum Deum, & justo ordine  
eos qui ejus gerunt vices, domi-  
nus est.

ca Pfeifferi prælect. in Jon. (b De Di-  
...  
...)

winat. gener. Et titule desortibus pag.  
 37. (c) Iis. 7: 14. 18. ( Tit, obsero.  
 in Paſſen. lib 1. cap. 15. (e l. c. pag.  
 420. (f) Prov. 15. 33. (g) conſer Geier.  
 in Prov 16. (h) 1. Reg. 18. 26. (i) Tar.  
 nov. in Jon. pag. 47. 48. 49.

### § VI.

*Ejectionem in mare a nautis faciam examinat.*

**E**xecutione consili suscepiti perfungi tandem decernunt, atque e navi illum ejectum, undis maris exæstuantis absorberendum committunt. De moralitate hujus facti paucis est disquirendum. Rabbinorum varias conjecturas de Jonæ projectione heic adducere parum necesse videtur; perhibent enim nautas eum non statim totum, sed primum ad talos, deinde ad genua, rursus ad medium corporis, et ultimo ad cervicem demersisse, et subinde

retraxisse; ast cum, eo mero ma-  
re quiescere, retracto vero pristi-  
nam recipere vehementiam cog-  
nouissent, re desperata penitus de-  
misisse (a. Non inficiandum, nau-  
tas in conservando Jona admo-  
dum sollicitos fuisse, curamq; &  
operam adhibuisse satis magnam:  
attamen si rem recte ad normam  
legis consideremus, a culpa im-  
munes aestimandos non putamus,  
Ordinem actuū seqvamur. Qualis  
fortitio, tale inde formatum ju-  
dicum: qvandoq; videim ex prin-  
cipio pravo non nisi fallaces du-  
cuntur conclusiones: haud secus  
ac rivos e scaturigine impura ma-  
nantes, & ipsos esse turbidos vide-  
mus. Sortilegium ipsum supra jam  
inustum & illegitimum fuisse pro-  
bavimus: neq; vero id qvod in-  
de illatum est, aliam obtinebit  
rationem; sed pariter illicitum  
atq; temerarium esse necesse est.  
Nautæ sortes has per nefas ductas

pro-

pro certo & legitimo indicio præcipitanter arripiunt, Jonamque iis reum designatum temere pronuntiant, rationem vitæ delictique modum poscere illum ausi. Non dum enim ista sententia alio argumento, quam lubrico sortium casu nitebatur. Hinc de sequentium actuum moralitate constat. Namque porro elicita ipsius Jonæ confessione, primum quidem majestate celebrati ab eo Jehovah perculti, nec dum justam sibi & sufficientem satis ejus exterminandi caussam naeti; nihilominus eum tanquam sortium judicio damnatum ad poenas depositum, optione quamlibet ipsi relicta. Denique lata in se ab ipso mortis sententia, & poena καταπονησμός definita, facile naturae perspiciebant, nihil quidquam juris in vitam ejus his actibus sibi adnatum esse, quippe qui nihil mali in eos commisisset: unde & conscientia ta-

eti

Etiam , innocentiam ejus aperte testati sunt (b ; siqvidem lege naturæ dictante neminem esse læden-dum norunt. Sed neqve idoneos se ad causam Dei decidendam judices agnovere, neqve eandem tuto credidere sibi esse commis-tam , ut exsecutioni mandaretur: unde & fortilegio suo diffisi ad preces & novum elabendi nisum convertuntur. Hactenus qvidem bene. Ceterum qvidni in eodem perstitere proposito ? Cur tandem demiserunt innoxium ? Dicas , urgente id necessitate tactū: haud secus ac ubi duo vel plures in ta-bulam aut partem navis confratæ unam inciderint, qvæ tanto oneri ferendo non est; moralium Doctores licere ajunt uni detur-bare inde alterum , ne ambo simul pessum eant. Verum dispar ommino est illud exemplum , qvod de sola sarcina physica agit; heic autem de morali erat qvæstio.

Ne-

Neque enim navigium videtur  
in eo adhuc fuisse statu, ut uno  
homine retento in fundum grava  
retur; sublato autem servaretur.  
Ideoqve satius erat, si ita fors tu-  
lisset, naufragium subire, qvam  
ad subsidia injusta confugere.  
Qvanto itaqve laudabilius est ex-  
emplum! Centurionis Julii, qvi  
non minora fortasse procellarum  
pericula, longiori certe tempore,  
ut videtur, sustinuit: & tamen  
naufragii malum exspectare, qvā  
de expositione cogitare, aut Pau-  
ti & captivorum cædem militi-  
bus permittere, maluit. Porro  
dixeris, volenti non factam inju-  
riam. De voluntate Jonæ mox  
dispiciendum. Si autem directe  
& absolute voluit Propheta hoc  
exitu defungi, debebat nautis hoc  
tanqvam miserandum hominis  
desperabundi & extrema agitan-  
tis consilium obvenire: qvum ne-  
mo facile nisi mente motus, sva-  
vissi-

vi simam rem , vitam suam spon-  
 te projicere credatur : Οὐδεὶς γάρ  
 ποτε ἡνὶ εἰσῆσθαι τιμωρεῖ, ἀλλὰ εἰπέται  
 Φαντασίαι διάλυσις αὐτὸν (d. Quo certe  
 casu etiam volenti injuria fieri po-  
 test. Verum enim vero si abso-  
 luto voluntatis motu Propheta ad  
 expetenda hæc fata ferebatur ,  
 vix a criminis *ἀθοξεψίᾳ* liberari  
 potest. Sed contrarium facile pa-  
 tet. Si enim absolute morti se de-  
 vovit , prompte etiam , aditu pa-  
 gente , nemine cohibente , in e-  
 am ruisset: certe expeditius pote-  
 rat unico ipse saltu in medias se-  
 undas præcipitare. Quid autem  
 tamdiu moratur? Quid tardas a-  
 liorum præstolatur manus? Ap-  
 paret itaque consilium de *κατεπο-*  
*τισμῷ* datum cum conditione esse  
 intelligendum , si nautis ita vide-  
 retur , aut si aliter evitari nequi-  
 ret. Ut taceam , metuere simul  
 potuisse , ne per temeritatem &  
 violentiā nautarum graviori mor-

tis genere præveniretur, ideoque  
isthoc suggestisse. Vel permissi-  
ve potius, ut innuimus, loquitur:  
ejicerent sane ipsum, si tempesta-  
tem fedatam velint. Satis enim  
jam cognovit ipse culpæ suæ gra-  
vitatem, & ultricem summi Nu-  
minis manum, cujus vindictam se  
nullo modo effugere posse perspe-  
xit. Namque hæc omnia, cœli  
asperitatem, ventorum violen-  
tiam, implacabilem maris æstum,  
undarum tumorem, fortium in-  
dicium, cetera, in suum esse ca-  
put destinato directa: sic fugiti-  
vum reprehensum, sic ad pœnam  
deponsci, nullamque elabendi viam  
superesse, conscientia perculsus  
reputabat. Qvovis itaque dignam  
supplicio contumaciam suam du-  
xit, & hoc forte sœvientis maris  
piaculo cœlestes iras mitigatum  
iri in comitum incolumentem ar-  
bitrabatur, si Deo ita porro vi-  
sum foret eventum dirigere, ut  
ipsum

ipsum ejiciendum statuerent. Qvod ad se attinebat, cum serio pœnitendo ad clementiam divinam supplex contigeret, de salute sua ei commissa non angebatur. Concludimus igitur, Jonam quidem pœnam hanc esse commeritum, a comitibus tamen suis eandem haud juste perpeſſum: qvum obligatio ſubeundi pœnam, ab aliquo contracta, non statim cuilibet jus eandem exigendi adqvirat.

(a) confer Pfeifferi prelect. in Jon. (b)  
Jon. 1° 14. (c) Act. 27. 14. seqq. (d)  
Eph. 5. 29.

### §. VII.

*Absorptionem a piske demonstrat.*

**F**iecto Jona mira ſequitur malacia & tranquillitas maris: unde apertius tandem argumentum nautis eſt ſubnatum, potentiam maiestatemq; Numinis cum stupore agnoscendi & celebrandi, nec non de qualitate facti proprius.

us concludendi, non de nihilo  
 fuisse, qvæ & sortium judicio, &  
 ipsius Jonæ confessione antea pro-  
 dita essent, qvorum indicio hac-  
 tenus tuto fidere neqve poterant  
 neqve debebant. Ex isto tamen  
 eventu non seqvitur, providentiæ  
 divinæ concursum ad priores nau-  
 tarum actus fuisse effectivum, cum  
 permisssivum tantum eum fuisse,  
 ex supra dictis constet. Nos au-  
 tem, missis nautis, periclitantem  
 ulterius Jonam paullulum seqva-  
 mur. Qvamdiu in undis fluctu-  
 ans natarit, tacente historia qvæ-  
 rere nihil expedit, Id solum evi-  
 dens est, movente Deo præsto fu-  
 isse pisces grandem, qvi Jonam  
 faucibus exceptum, illæsum &  
 integrum intra ventrem condit, &  
 triduum detinet Qualis fuerit  
 hic pisces, inter eruditos adhuc  
 multum disceptatum est. Textus  
 qvidem facer Jonæ non aliud ei-  
 nomen nisi גַּרְוֹל גָּר indit, qvod i-  
     psum

plūm Matth. 12. 40. per κῆλος ex-  
 ponitur. Balænam fuisse, commu-  
 nis sententia est: qvam tamen  
 nonnulli negatum eunt, potius la-  
 miam seu canem carchariam fu-  
 isse contendentes. Balænam e-  
 nim arctiori gula & ventriculo  
 esse, qvam ut hominem illæsum  
 deglutire & continere queat: ne-  
 que vorax esse animal, sed alga,  
 pisciculis conchiliisqve contentū,  
 & raro in isto mari apparere. Cō-  
 tra carchariæ os gulamqve tantæ  
 esse vastitatis, ut hominem etiam  
 obesum capere possit: canes istos  
 voracissimos, carnivoros & an-  
 thropophagos, & in mari medi-  
 terraneo balænis esse freqventio-  
 res. κῆλος generale esse nomen,  
 competens omnibus magnis pi-  
 scibus cetacei generis, balænis,  
 phocis, delphinis (a. Verum e-  
 nim vero ista omnia, qvantum-  
 libet plausibilia, decidendæ huic  
 qvæstioni nondum sufficere vi-  
 den-

dentur, ut a sententia communiter  
 recepta discedendum putemus. Nam  
 ut taceamus, in miraculis res non  
 esse ad rationis normam anxie exi-  
 gendas, cum is ipse, qui Jonam in-  
 tra pisces potuit praeter naturam  
 vivum servare, etiam introitum e-  
 idem commode aperire noverit: a-  
 lia simul heic suppetunt argumen-  
 ta. Balenæ enim, tam vastæ molis,  
 ventrem non adeo angustum esse o-  
 portet; quin revera nonnulli ma-  
 gnam ejus capacitatem esse testantur.  
 Præterea varias esse balenarū speci-  
 es, & supra viginti numerari, inter  
 alios refert Th: Bartholinus (b, &  
 singulas diversæ esse indolis. Sic ba-  
 lenam illam, septentrionalibus *Roff-  
 bwæ* dictam, voracissimum esse ani-  
 mal, naves & homines subvertens,  
 ut iis potiatur, narrat Wormius (c.  
 In o in intimo maris mediterranei  
 sinu visam esse tantæ voracitatis bel-  
 luam, ut plures delphinos uno hau-  
 stu deglutierit, navesque & homi-  
 nes insectata sit, ex Procopio & Zo-  
 nara tradit Drossander (d. Quam non  
 Car

Carchariam, sed balenam fuisse, corporis moles arguit. Tutius itaque  $\tau\delta\ \kappa\eta\tau\oslash$  notione accipitrus famosior, qva balenam, ceu specimen potiorem designat, præsertim quum prædicatum  $\aleph\tau\zeta\ \tau\eta$  eidem, ut moli carcharia longe vastiori, competit. Insula Rabbinorum somnia heic adducere parum refert, qui credunt non tantum pisces istum plane singularem fuisse, in hunc finem intra sextiduum creationis paratum; sed & oculis pellucidum, ut occulta maris, quocunq; vagaretur, conspicere posset Propheta C. Quid & bis absorptum Jonam statuant, primum a masculo, in cuius ventre commodam nactus sedet, ad preces compelli nequiviverit: deinde ab eo in os femelle gravidæ ejectum, ubi tandem angustia ad orandum adactus fuerit Cf. Nos potius periclitantem Jonam hactenus comitati, tætrum ejus carcerem cum stupore contemplan ut, in agno admirandæ providentia divinæ argumento, quonodo ille respiratione

intercepta, pessimoqve odore non fuerit suffocatus, aut alioquin calidissimo belluæ ventre intra triduum consumitus & in Chylum conversus; sed illæsus, vivus, valens, mentis compos, piis potuerit precibus & meditationibus vacare. Sic ludit in humanis divina potentia rebus.

\* \* \* \* \*

**S**ed vela jam contrahere, finem que periclitacioni Prophetæ Jonæ imponere, atqve ea, quæ miram ejus contingunt conservationem, alii reservare tempori, si Deo fuerit visum, & vires tulerint, curta rei familiaris supellex me cogit. Lectorem candidum iterum iterumque regatu velim, ut ea, quæ ex imperata brevitate sunt perfecta, benignis velit inqueri oculis. Precibus atqve suspaciis te, summe Deus, ex intimis cordis recessibus amplectimur, ut ecclesiæ tuæ naviculam, inter undas malignatum exactuanites periclitantē, gubernes, eandemque contra quosvis hostium insultus protegas. Patriam denique nostram, haud ita pridem a  
cru-

cruentissimi belli tempestatibus quam  
longissime agitataam, vexatam & pa-  
ne exhaustam, iam vero pace & re-  
quie condecoratam, ab omni hostili  
invasione clementer porro liberare  
& defendere digneris. Spiritus tuus  
nos ita illuminet, regat ac ducat, ut  
in mari hujus mundi turbulentio fi-  
des nostra naufragium numquam pa-  
tiatur; sed post varias afflictionum &  
tentationum procellas, portum tan-  
dem inveniat tutissimum exoptatis-  
simumque: nam nostrum auxilium in  
manu Dei est, qui fecit celum & terram,  
Psalm. 124. 8.

לְהַזֵּחַ תִּתְלֹא :

(a) Sam. Bochart. in Hierozoic. Part. post.  
lib. 5. cap. 12. pag. 743. Conf. Rondeler. de  
piscibus lib. 13. cap. 12. Aldrovand. de pi-  
scibus lib. 3. cap. 32. Et. (b) Th. Bartholin.  
Cent. IV. hist. 24. (c) Worm. Musae. lib. 3.  
cap. 13. (d) Drossander de Ratzena pag. 44.  
(e) Johan Schünken in Apparatus bib. Tom.  
II. pag. 899. 900. (f) Pfeifferi prælect. in  
Jor. Leusden. Jon. illustratus pag. 109.

